

[1,1] Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra ? Quam diu etiam furor iste tuus nos eludet ? Quem ad finem sese effrenata iactabit audacia ? Nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis uigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora uoltusque mouerunt ? Patere tua consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non uides ? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos conuocaueris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris ?

O tempora, o mores! Senatus haec intellegit. consul uidet; hic tamen uiuit. Viuit? immo uero etiam in senatum uenit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem fortes uiri satis facere rei publicae uidemur, si istius furorem ac tela uitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in te conferri pestem, quam tu in nos {omnes iam diu} machinaris.

[1,1] Quo usque tandem **abutere**, **Catilina**,
patientia nostra **?** Quam diu etiam furor iste
tuus nos **eludet** **?** **Quem** ad finem sese effrenata
iactabit audacia **?** **Nihilne** te nocturnum
praesidium Palati, **nihil** urbis uigiliae, **nihil**
timor populi, **nihil** concursus bonorum
omnium, **nihil** hic munitissimus habendi
senatus locus, **nihil** horum ora uoltusque
mouerunt **?** Patere tua consilia non **sentis**,
constrictam iam horum omnium **scientia teneri**
coniurationem tuam non **uides** **?** [**Quid**
proxima], [**quid** superiore nocte egeris], [**ubi**
fueris], [**quos conuocaueris**], [**quid** consilii
ceperis], [**quem nostrum**] ignorare **arbitraris** **?**
O **tempora**, o **mores**! **Senatus** haec **intellegit**.
consul uidet; **hic** tamen **uiu**it. **uiu**it **?** immo
uero etiam in senatum **uenit**, **fit** publici consilii
particeps, **notat** et **designat** oculis ad **caedem**
unum quemque nostrum. Nos autem fortes uiri
satis **facere** rei publicae **uidemur**, si istius
furorem ac **tela uitemus**. Ad **mortem** te,
Catilina, duci **iussu** consulis iam pridem
oportebat, in te conferri **pestem**, quam **tu** in
nos {omnes iam diu} **machinaris**.